



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitate ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

An prædicationes in terminis diuinis sint per se. cap. 10.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

mina adiectiua, quæ non verificantur de subiecto nisi formaliter, quod non contingit inter terminos, qui à se mutuo præscindunt. Exempli causa Verbum æternum procedit per actum intellectus sub propria ratione actus intelligendi: ratio vero huius actus minimè concipitur, cum apprehenditur actus voluntatis, prout præcisè est actus voluntatis, & distinctus ab actu intellectus, & ideo non verè dicitur, Verbum diuinum procedit per actum voluntatis. Medium vero ad discernendum, quænam perfectiones secundum proprias rationes vendicant aliquod prædicatum, est fingere per impossibile hanc, vel illam perfectionem deesse Deo, deinde vero attendere an adhuc prædicatum conueniat nec nò: si enim adhuc conuenit, signum est perfectionem illam, quæ fingitur deesse, non esse præcisam rationem illius prædicati: si vero non conuenit, consequens est ut illa sit propria, ac præcisa ratio illius.

VII.

Addita est in regula exceptio illa, nisi forte verificetur ratione suppositionis vnus pro altero: nam suppositio facit, ut quæ alioquin distinguuntur, verè de se inuicem prædicentur, & subiiciantur iisdem prædicatis. Ideo enim, quæ sunt idem subiecto, illudque connotant, verè inuicem prædicantur, quamuis differant secundum rationes formales: supponunt enim pro eodem subiecto, quod verè subiicitur diuersis prædicatis cõcrete sumptis. Ob hanc causam, ut communiter docent Theologi, cum hæc propositio, *Deitas generat*, sit falsa, quoniam generare non conuenit nisi primæ personæ diuinæ, pro qua essentia non supponit, hæc tamen est vera: *Deus generat*, quoniam terminus, *Deus*, admittit suppositionem personalem. Similiter cum hæc sint falsæ, *Deus misericordia punit*, *iustitia misereatur*, hæc tamen sunt veræ, *misericors punit*, *iustus misereatur*, quoniam termini illi concreti à parte subiecti stant pro Deo, cui vtrunque prædicatum tribuitur.

VIII.

Ad primum argumentum respondetur illud principium intelligendum esse de eodem genere identitatis, quo duo sunt eadem in vno tertio. Identitas autem secundum rem quamuis sufficiat ad prædicationem identicam, non tamen sufficit ad formalem: & quoniam plura sunt prædicata, quæ non nisi formaliter possunt verificari, ut constabit inferius, ex omnimoda identitate secundum rem non sequitur absolute, ut omne, quod dicitur de vno, dicatur de altero illi identificato. Ad secundum neganda est maior propositio, & patet in-

stantia in plurimis: nam substantia generis summum, & ens non distinguuntur ex natura rei, nec tamen opus est, ut vnum supponat semper pro alio: dicitur enim substantia generis, ens vero minimè: Contra vero hoc dicitur analogum, substantia vero nequaquam. Item in diuinis terminis, *Deus*, supponit pro personis, terminus vero, *essentia*, neuiquam: & tamen significatum vtriusque est idem omnino ex natura rei. Ad tertium respondetur subiectum aliquod posse esse multiplex virtute, ac ratione, & ex vi vnus rationis vendicare aliud prædicatum, quod non competit alij præcisè sumptæ; vnde distinguenda est assumptio, ac dicendū, si aliquis terminus significet idem re, ac ratione, quod significat subiectum alicuius propositionis, habere posse identitatem cum prædicato sufficientem ut illi subiici possit, sin vero significet idem re, distinctum tamen ratione, non habere identitatem obiectiuam, requisitam ad veritatem enunciativam. Ea vero, quæ sunt idem ex natura rei, & ratione distincta, nō sunt idē re, ac ratione, & proinde non opus est, ut si vnum habet identitatem obiectiuam cum prædicato aptam terminare assensum verum, aliud quoque habeat, ut patet ex dictis.

An prædicationes in terminis diuinis sint per se.

CAPVT X.

DICTUM est, quænam propositiones sint veræ in terminis diuinis: restat explicandum vtrum sint per se formales, & quomodo sint veræ sub reduplicatione, & alijs loquendi formulis. Est vero multiplex hæc de resententiarum varietas, pro cuius explicatione obseruandum ex Martilio in 1. quæst. 6. art. 2. ad 4. prædicationem tripliciter dici formalem: primo quidem quando est per se, & non per accidens, secundo quando denominatio est causalis sumpta à forma extrinseca causata, vel causabili, sed à forma inexistente subiecto, quod denominat. Tertio quando prædicatum non verificatur identice solum, sed formaliter, hoc est cum adiectiuè dicitur de subiecto. Verum hoc vltimum membrum non adæquate explicatur, quoniam licet omne prædicatum adiectiuum dicatur formaliter de subiecto, non tamen solum. Quia tamen sunt alij modi, quibus impeditur ratio prædicationis formalis, sic diuidi potest prædicatio: aut enim sumitur à forma verè inexistente subiecto, vel

forma

forma minimè inexistente: si inexistat vel est per se, vel per accidens: per se dicitur formalis primo modo, per accidens vero non: item si inexistit, vel conuenit subiecto ratione solius identitatis cum supposito prædicati, & est identica, vel immediate applicatur subiecto solum ratione formalis significati, & est formalis, si non inexistit, vel immediate denominat illud, vel aliud, cum quo habet aliquam coniunctionem, aut habitudinem: si immediate denominet adhuc est formalis, quo pacto hæ prædicationes, *lapis videtur, amicus diligitur*, sunt formales, quamuis denominatio sumatur à forma extrinseca: si denominat prius aliud, aut id est effectus, aut forma concomitans, aut fundata in subiecto denominato: & omnibus his modis propositio non est formalis, sed causalis, vel fundamentalis, vel per concomitantiam: nam sol dicitur calidus non formaliter, sed causaliter, quia habet vim calefaciendi, albedo dicitur similitudo, non formaliter, sed fundamentaliter, quia est fundamentum relationis similis ad simile: generatio vnus est corruptio alterius concomitanter, quoniam indiuisibili nexu copulantur: similiter ex Aristotele lib. 3. de anima text. 19. substantia intellectus est sua actio, quod non est verum formaliter, sed concomitanter, vt docet D. Thomas 1. p. quæst. 54. art. 1. ad primum.

II. Cateri modi prædicationis formalis præter eum, qui opponitur identicæ, ferè nihil difficultatis habent: & idè hoc capite expendendi sunt, vt sequentibus exponam difficultates circa formalem, & identicum. Primum vero constat Deum denominari extrinsecè formaliter à rebus creatis, dicitur enim diligere ab homine, videri à beatis, offendi à reprobis, nonnunquam etiam denominatur ab actionibus nostris, quarum obiectum est: quo pacto *Deus* Ignatius Epist. 15. quæ est ad Roman. quem refert Dionys. Ariopagita lib. de diuin. nom. cap. 4. p. 1. *amor meus*, inquit, *crucifixus*, & Iacobus Genes. 31. *nisi timor Isaac affuisset mihi*, id est, Deus, quem timuit Isaac, & cuius reuerentia se obtulit immolandum, & Dauid Psalm. 9. & 90. itemque Hieremias cap. 17. Deum spem suam appellant, quia scilicet Deus est obiectum amoris, timoris, ac spei nostræ: denominatur etiam causaliter, ex rigore quidem ab omnibus suis effectibus, quod indicauit Dionys. cap. 2. de diuinis nominibus p. 1. ad finem: vbi, cum dixisset:

Si quis vitam viuere, aut illuminari lucem dicat, non recte loqui, addit, nisi forte per alium hæc dixerit modum, quod affluenter, ac substantificè, quæ causalium sunt, causis preindita sint, & eodem lib. cap. 5. omnia est, inquit, vt omnium causa, & in se omnia initia, omnes conclusiones, & terminos rerum omnium continens, & ante habens. Hoc modo vt notat Altiſiodorens. lib. 1. cap. 6. aliàs 7. q. 7. dicitur Deus in sacris literis patientia, & fortitudo, & salus nostra, & plerisque alijs rerum, quas causat, nominibus significatur, vnde idem Dionys. cap. 1. mysticæ Theologię ait Deum celebrari positione, & ablatione eorum, quæ sunt: positione inquam secundum rationem eminentiæ, & causalitatis, vt notat D. Thomas quæst. 9. S. Thom. de potentia art. 7. ad secundum, cap. vero 4. de diuinis nominibus Deum ait appellari lucem, eo quod omnè supercœlestem Spiritum spiritali impleat luce. Hæc tamen appellatio non debet ad omnia extendi, vnde vt notat D. Thomas loco proxime citato, Deus nullo modo dicitur corpus, & tamen corpus continet eminenter vt causa: non vsurpantur itaque etiam in sensu causalì propositiones, in quibus est aliquid periculum erroris, aut aliqua loquendi absurditas. An vero denominationes omnes sint veræ solum in sensu causalì, non est huius loci disputare, ideoque suppono probandum in tractatu de nominibus Dei in Deo esse formaliter perfectiones simpliciter significatas nominibus attributalibus, & non solum denominari sapientem, iustum, ac fortem, ex eo, quod perfectiones has in creaturis repertas causaliter præhabeat, sed quia ipse verè sit in se ipso sapiens, iustus, ac potens: itaque si attendamus ad hæc vocabula, quatenus imposita sunt significandis perfectionibus creatis, prædicationes non sunt veræ in sensu formali, sed causalì, vel supereminentiali, vt crebro ait D. Dionys. si vero eadem vsurpemus prout extensa sunt ad significandū easdem perfectiones in abstractione à creatis, sunt veræ in sensu formali. Prædicatio per concomitantiam, aut fundamentalis non vsurpatur in diuinis: non enim dicitur generatio actiua est generatio passiua, quamuis indiſſolubili nexu coniunctæ sint.

Propositiones autem per se multipliciter accipiuntur: cum enim totidem modis dicatur vnum oppositorum, quot dicitur alterum, & dici per accidens, quod opponitur prædicationi per se, multipliciter accipitur, ipsum quoque prædicari per se multis modis accipitur. Prædicari vero per accidens quadrupliciter accipitur: primo id

III.

dicatur per accidens, quod conuenit per aliud, vel ratione alterius: quomodo musicus per accidens ædificat, quia musicus per accidens est idem subiecto cum Architecto, cui per se primo conuenit ædificare. Secundo id, sine quo potest esse subiectum: quia ratione homo dicitur per accidens Rex, aut seruus. Tertio, quod conuenit accidentaliter inhærendo, quomodo passionibus de genere accidentium conueniunt per accidens proprijs subiectis, non tamen differentia specificæ generibus: quoniam, licet non sint de ratione intrinseca ipsorum, non tamen inhærent. Quarto denique per accidens dicuntur illa prædicata, quæ non sunt de ratione intrinseca subiecti, siue inhæreant siue non: & hoc modo differentia dicuntur per accidens de generibus. Ex quibus patet per se illa dici primo, quæ non conueniunt per aliud: secundo, quæ conueniunt necessarium: tertio prædicata positiua, quæ non sunt accidentia inhærentia subiecto: quarto denique, quæ sunt de intrinseca ratione subiecti.

IV.

Ex his patet multa dici de Deo per accidens primo, secundo, & quarto modo: nihil vero tertio: nam primo modo dicitur Deus creator per accidens à relatione, quæ est in creatura: non enim habet ipse realem relationem ad res creatas, sed denominatur à relationibus, quæ in ipsis sunt, ut censent multi Doctores. Secundo vero modo relationes ipsæ rationis temporales Dei ad creaturas dicuntur de ipso per accidens, ut ait D. Thom. in 1. dist. 30. quæst. vn. art. 1. ad 2. & 4. & de potentia quæst. 7. art. 8. ad 6. Quarto denique modo ista est per accidens, *Deus est Pater*, ut ait idem D. Thomas de potentia quæst. 8. art. 2. ad 6. Tertio vero modo nihil est per accidens Deo: quoniam nihil est in ipso reale positiuum, quod non subsistat, vel quod inhæreat, ut ostensum est tractat. 1. cap. 1. Et in hoc sensu accipiendum est, quod docet S. Thom. in 1. dist. 4. quæst. 2. art. 2. ad 3. scilicet nihil de Deo prædicari per accidens, & ob hanc causam, hanc propositionem: *Deus est Pater*, quæ non est per se villo ex modis traditis ab Aristotele, esse per se tradit D. Thom. 1. p. quæst. 39. art. 6. ad 2. propter omnimodam identitatem, quia scilicet omnia diuina, tã absoluta, quã relatiua, sunt idẽ in essentia sub ratione substantiæ, & quamuis proprietates relatiuæ non sunt de intrinseca ratione essentia, tamen sunt substantiales, hoc est nõ inhærentes. Verum de prædicationibus, quæ constant aliquo extremo diuino relatiuo agen-

S. Thom.

S. Thom.

dum est in materia de Trinitate. Ea vero, quæ dicuntur ex tempore de Deo, vel cum habitudine ad res existentes, planum est non pertinere ad modos dicendi per se traditos ab Aristotele: solum restat agendum de prædicatis diuinis mutuo comparatis, & in ordine ad actiones immanentes, & transeuntes.

Omnia vero absoluta positiua dici per se primo modo, hoc est quali pertinent ad essentiam subiecti, de quo prædicantur, docet expresse Dionysius Cisterciensis in 1. dist. 22. quæst. vn. art. 2. conclusionem 1. & est de mente illorum, qui aiunt omnia esse de intrinseca ratione essentia, quos retuli tractat. 1. cap. 6. probatur autem, quoniam nihil dicitur verè in abstracto de altero, nisi pertineat ad rationem intrinsecam, & definitionem essentialem ipsius: perfectiones autem diuinæ prædicantur aliæ de alijs in abstracto: ergo pertinent ad definitionem ipsarum, & dicuntur per se primo modo. Secundo hæc propositio, *Sapientia diuina est iustitia*, non est per accidens: ergo per se: Antecedens patet, quoniam non est contingens, aut vera per inhærentiam, vel ratione alicuius tertij: ergo per se quatenus vna vendicat aliam essentialiter, & intrinsecè: Tertio omnis propositio per accidens reducitur ad aliquam per se: hæc vero, *Sapientia diuina est iustitia*, non habet aliam per se, ad quam reducatur: ergo ipsa est per se.

Termini significantes perfectiones diuinas absolutas sunt in triplici differentia: aut enim accipiuntur ita, ut saltem intentione loquentis designent omnem perfectionem, quæ est in Deo, quo pacto Doctores aliqui volunt accipi iam communiter hoc nomen, *Deus*, vel, *Deitas*: aut accipiuntur pro essentia diuina, quatenus à nobis concipitur ut perfectio substantialis Dei: aut denique pro perfectionibus attributalibus præcis ab inuicem & à ratione ipsius essentia, si priore modo accipitur subiectum, omnis prædicatio perfectionis absolutæ realis est per se primo modo. Patet ex dictis tract. 1. ubi probatum est perfectiones oēs absolutas esse de intrinseca ratione essentia diuinæ adæquate sumptæ: quod enim est de formali ratione intrinseca subiecti, dicitur per se primo modo de illo. Si vero subiectum sumatur secundo modo, tunc prædicatio quarundam rationum, etiam nostro modo intelligendi substantialium, erit per se primo modo: nam, sicut hæc, *Gabriel est substantia, spiritus, viuens, intelligens*, est per se primo modo, ita quoque hæc, *Deus est spiritus, Deus est substantia*, &

similes

similes erunt per se primo modo, quoniam etiam nostro modo intelligendi perfectiones terminis illis significatæ sunt de intrinseca ratione essentiali cuiusvis substantiæ immaterialis. Si verò prædicatum sit aliquid ex illis, quæ per modum proprietatis tribuuntur Deo, propositio erit per se secundo, non primo modo. Hæc expressè traditur à Gulielmo Rubionio in 1. dist. 8. q. 5. art. 2. conclus. 2. est quæ conformis doctrinæ traditæ tract. 2. ubi ostendi perfectiones absolutas non esse de intrinseca ratione Deitatis prout à nobis concipitur præcise sub perfectione substantiali. Ex hoc enim apertè sequitur non prædicari per se primo modo de Deo: cumquæ sit necessaria connexio inter illas, & Deitatem, & concipiatur à nobis per modum proprietatû, si velimus eas diffinire sub ea præcisa ratione, quæ concipimus, necessario ponenda est essentia diuina in ipsarum diffinitionibus: atque adeo hæc prædicatio, *Deus est sapiens*, erit per se secundo modo. Denique si de se inuicè prædicentur, propositio neutro ex his modis erit per se, sed per accidens, per se verò tantum in ratione identitatis. Prior pars est manifesta, quoniam quando prædicatum, & subiectum ita se habent, ut neutrum ponatur in definitione alteri, prædicatio non est per se primo, aut secundo modo: perfectiones verò diuine, ut à nobis concipiuntur, non definiuntur mutuo per se ipsas, aut una per aliam: ergo non prædicantur per se villo ex illis modis, sed per accidens, quatenus omnes coniunguntur in eadè essentia, cui singulæ conueniunt per se: quia verò per se sunt idem cum essentia, & inter se, ratione huius identitatis potest dici per se enuntiatio, quæ una prædicatur de altera, sicut eadè de causa D. Thom. voluit hæc esse per se, *Deus est Pater*, ut explicat Caieta. 1. p. 1. q. 39. art. 6. circa solutionem ad secundum. ubi tradit duplicem modum perfectitatis, nempe formalis, & identicæ, & quia in diuinis datur perfectitas identica, ait dicendas esse propositiones per se, & non per accidens, ut ibidem indicat D. Thom.

VII.

Ex his patet fundamentum oppositæ sententiæ esse falsum: nam licet perfectiones absolutæ sint de ratione intrinsece essentiæ adæquate suprà, non tamè ut à nobis concipitur, nec se mutuo includunt. Ad primum argumentum respondeo distinguendo maiorem propositionem: nam, si intelligatur de propositione vera in sensu identico, est falsa: hæc enim est vera identice, *essentia diuina est Paternitas*, & tamen Paternitas non pertinet ad rationem intrinsecam essentiæ, nec dicitur de illa per se, ut patet ex paulò antè dictis. Si

vero intelligatur de propositione vera in sensu formali, est vera: sed assumptio est falsa in eodè sensu, ut ostendit inferius. Ad secundum respondeo hanc propositionem, *sapientia diuina est iustitia*, esse per se tertio modo, hoc est identice, quatenus est necessaria, & prædicatum non est accidens inherens subiecto, esse tamen per accidens quarto modo, quoniam sapientia non est de ratione iustitiæ, ac viceversa. Ad quod parum refert, quod non conueniat contingenter, per inherentiā, aut ratione alicuius tertij, quod adducitur ad probationem antecedentis; accedit quod sicut perfectiones diuinæ nostro modo intelligendi concipiuntur, ut proprietates Deitatis, ita cum mutuo prædicantur, possunt dici prædicari per accidens ratione alicuius tertij, cum quo identificatur, quemadmodum prædicantur proprietates, & accidentia creata, quæ coniunguntur in eodè subiecto: v. g. risibile est discursiuum, album est dulce, prædicantur enim mutuo, quia sunt idem subiecto: ita per accidens prædicatur in diuinis iustitia de misericordia tam in concreto, quam in abstracto, & sic res se habet in reliquis. Quod intelligendum est formaliter: nam identice, ut iam obseruauimus dicitur per se. Ad tertium respondeo, si per se significet idem, quod essentialiter, non requiri, ut omnis propositio per accidens reducat ad aliquam per se: nam propositiones de prædicato contingenti non possunt reduci ad ullam essentialem: si verò per se idem sit, ac non per aliud, vera est maior propositio, nam omne prædicatum conueniens subiecto per aliud, conuenit alteri per se, hoc est illi, cui conuenit non per aliud, & hoc modo hæc propositio, *sapientia diuina est iustitia*, reducitur ad hanc, *essentia diuina est iustitia*: essentiæ enim per se, & non per aliud conuenit iustitiæ: & quia sapientia supponit pro re, quæ est essentia, de illa quoque ratione essentiæ pro qua supponit, verè prædicatur iustitia.

VIII.

Quod si loquamur de terminis verbalibus significantibus actiones immanentes, vel transeuntes, comparari possunt aut cum essentia, aut cum perfectionibus alijs. Quod si cum essentia comparatur, videbitur forsitan non prædicari per se, quoniam Aristot. 1. 2. *Physicor.* text. 33. ait, polycletum esse causam per accidens statuarum, quoniam accidit statuario, ut sit Polycletus, & viceversa substantia, cui conuenit accidens, quod est principium operationis, dicitur per accidens causa illius, quo pacto homo per accidens est causa statue, quia accidit illi ars statuarum fabricandi, sed ita se habet Deus substantialiter

Bbbb 4

signifi-

significatus ad suā artem, vt homo ad suā: si ergo homo operans per artem per accidens operari dicitur, etiā Deus. Nihilominus dicendum est omnē actionem prædicari per se de Deo. Fundamentum est quoniam principium immediatum agendi, cui per se tribuuntur actiones, per se conuenit Deo, vt per singula discurrendo liquet: nā intellectus, ac voluntas, quę sunt principia formalia omnium operationū ad intra, sapientia, ars, & omnipotētia, quę sunt principia actionum ad extra, per se conueniunt Deo: nam si adæquate sumatur, cōueniunt in primo modo dicendi per se, in secundo verò, si sumatur inadæquate prout cōcipitur à nobis sub sola ratione substantialis perfectionis: quoties verò principium agēdi per se cōuenit subiecto, etiā per se, & nō per accidens de illo dicitur operatio: hæc enim, *homo intelligit, ridet*, est propositio per se, & non per accidens, siue per aliud. At si operationes tribuantur perfectionibus illis, à quibus immediate emanare concipiuntur, etiā propositio erit per se: contra verò si tribuantur alijs disparatis, patet quoniam hæc est per se; *Deus iustus punit, misericors parcit, omnipotens creat, sapiens intelligit*: hæc vero per accidens, *iustus miseretur, misericors punit: Bonus intelligit, sapiens amat*. Ratio est, quoniam hæc prædicata tribuuntur subiectis non per se, sed propter identitatem cū propria ratione, & principio operationū. Ex quo patet doctrinā traditā minimè repugnare dicto Aristot. nam ille solum eas prædicationes dicit per accidens, quando tribuitur ratio causandi substantiæ, cui per accidens conuenit propriū operandi principium: quomodo aqua per accidens calefacit, quoniā calor, qui est propriū, & immediatum principium calefaciendi, conuenit illi per accidens: omne verò principium operationis Dei ad extra conuenit ipsi per se, & consequenter operatio ipsa.

Quid requiratur ad veritatem propositionis in sensu formali.

CAPVT XI.

I. **A**cturus deinceps de veritate propositionum in terminis diuinis in sensu identico, & formali, necessarium duxi explicare, in quo consistat veritas identica, & formalis, & quo differant: Appellatur autem veritas formalis per inhærentiā, vel informationem, identica per identitatem.

S. Bonauent.

In primis autem D. Bonauent. in 1. dist. 27. 1. part. art. vn. q. 1. ad vltimum, & d. 33. q. 3.

asserit prædicationem per inhærentiam esse in concreto, prædicationem vero per identitatem in abstracto: quibus indicat prædicationem omnem in concreto esse per inhærentiam, in abstracto verò per identitatem. Idem videtur sensisse Henric. in summ. art. 74. q. 3. liter. B. sed hæc regula non est vniuersaliter vera: quia abstracta accidentium prædicantur de inferioribus per inhærentiam, siue formaliter: & nonnulla concreta dicuntur per identitatem, quomodo hæc est vera, *essentia diuina est generans*, si terminus generas accipiat substantiue neutraliter, quia facit hunc sensum, *essentia diuina est res*, quæ est generans, nempè Pater: & idemmet Bonauent. in 1. d. 5. art. 1. quæst. 1. ad 3. admittit hanc esse veram per identitatem, *essentia diuina est Pater*, & in eodem sensu D. Thom. in 3. dist. 5. in expositione text. concedit hanc, *essentia diuina est homo*, quia est idem secundum rem cum supposito hominis.

Hispalens. in 1. dist. 33. quæst. 1. artic. 3. II. notabil. 1. existimat omnia nomina substantiua dici per identitatem, & sola adiectiua per informationem: quoniam in prædicatione, inquit, identica prædicatum non se habet ad subiectum vt forma, vel vt aliquid eius, neque vt ponens rem significatam circa subiectum, sed vt quoddam per se subsistens: & ideo prædicatio identica fit per terminos substantiuos substantiue tentos: at verò in prædicatione per inhærentiam prædicatum se habet ad subiectum vt forma, vel per modum informantis: & ideo dicitur ponere rem suam circa subiectum. Hoc verò patet per exponentes vtriusque prædicationis: nam hæc propositio, *homo est albus*, exponitur ita, homo habet, vel est habens albedinem: illa verò, *homo est Pater*, si sit formalis, exponitur, id est, homo habet Paternitatem: prædicatio verò identica non ita exponitur, sed per esse id, quod est res prædicati: vt si Pater substantiue teneatur in prædicato, huius propositionis, *homo est Pater*, idem valet, ac si dicatur *homo est is*, qui habet Paternitatem: item cū dicitur, *virtus est qualitas*, exponens eius est, virtus est id, quod est qualitas. Ex quo infert omnem prædicationem identicam fieri per abstracta, vel concreta substantiua, vel substantiue sumpta. Contra verò omnem prædicationem formalem fieri per prædicata concreta adiectiua, vel adiectiue sumpta. Ex hac doctrina sequitur nullam prædicationem substantiarum, prædicamentaliū esse veram in sensu formali, quo-